Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0001-8

Occasionalia VI-181
potissimum carmina
vol. ~~Tafe~~ 21. ~~G. I. 21~~

Centur. quinque.

VI-181.

Ung VI 181

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0002-4

Frater intimiori cordis affectu colende.

AMomo ejusque aſſeclis ſæpenumero magno cum faſtidio honores optimos, eosque ſapientum conſilio probatos, ſperni, res ſatis eſt manifeſta. Quid itaque mirum, ſi Laurus, quæ vocari ſvevit, Magiſterialis, doctrinæ ac virtutum ſtudio claris Viris more antiquo imponenda, a pluribus inſuper habeatur! At, quæ ſit ratio, quæras? Videtur eſſe hæc, quod tot indigna capita identidem hac cingantur lauro. Sed, quæſo, nonne omnis honor, omnes faſces, omniaque præmia ſic ſummis ac ſapientisſimis Viris forent rejicienda, cum ubivis terrarum indigni dignis conſpiciantur mixti, atque fortuna vaga ac volabilis ubique fere ſola ſuam habeat ſedem? Num ſoli digni lumine fruuntur ſolis, numque noſtra tellus non niſi probis atque juſtis ſuos diſpertitur provenientes fructus? Eſto, quod eodem honore quam ſæpisſime indignus cum digno ſoleat exornari; nihilominus tamen honor iſte in ſe ſuaque natura eſt atque manet intemeratus. Idem complures addictos ſtudiis Juvenes excitat ad majus inclareſcendi deſiderium, ar-

dorque magna eo ipſo câpit incrementa, ingenii nobilioris rite adipiſcendi opes, ac e vulgi fecibus ſeſe liberandi. Idem eſt luculentus ac optimus teſtis partæ ſibi doctrinæ atque virtutis , nec non vere nobilitat nomina ſapientum. O felicem itaque illum, qui ſeſe dignum hoc reputare poteſt honore ! O gratia veterum ſummis evehenda laudibus , dum titulo hoc ornatis tam egregia tamque ſplendida dederunt jura, ut ipſis via, qua nominis immortalitatem conſequi queant, exiſtat adaperta! Hæc exactius perpendens, & veram prudentum ſententiam de hiſce honoribus capeſſendis rite inſpiciens, non poteſt non, quæ vulgus proferre ſolet, flocci habere. Eadem, *Tu Frater amantisſime*, probe pariter ponderaſti ; proinde non dubitas, quin tandem laurum doctrinæ ac virtutibus Tuis dudum debitam capiti Tuo imponi patiaris. Doctrina Tua ſingularis, virtus excellens, Te dignisſimum unanimi ad unumomnium conſenſione produnt, Patresque Almæ Leucoreæ honoſte inſtigant, ut ſummos in Philoſophia honores Tibi diutius velle ſubtractos, grande exiſtiment ne fas. Quanta enim cura, quantaque animi intentione tot linguas, tot artes, atque ſtudium ſeorſim Philoſophiæ huc usque tractaveris, novit Chemnicium, novit Lipſia, norunt omnes, totque monumenta clarisſime commonſtrant. Quidni inde inclytus Sophorum ordo egregie Tibi faveret, atque ſolenni modo dignos Tibi ſummo cum applauſu conferret ultro honores. Si vero de quovis, quo bearis, bono pro fraterno affectu, quem Tibi debeo, ſummo gaudio delibutus Tibi gratulor: Eccur non, quod ſupremos, quos Philoſophia ſui cultoribus ſolet indulgere, honores ex merito capesſis, gaudeam omnibusque lætitiis incedam? Eccur non voce lætanti plus vice ſimplici ingeminem illud priſcum: *Feliciter?* Profecto temperare nullo mihi modo queo, quin redundantem & geſtientem lætitiam indicem, atque Tuam, qua jam ornaris, ſortem Tibi, interprete

hoc qualicunqne epiſtolio, gratuler impenſe. Faxit Numen benignisſimum, ut his honoribus novi indies accedant, de quibus Tibi gratandi mihi lætisſima ſubnaſcatur occaſio; ſtudiorum ſimul laudatisſimorum progreſſus ita dirigat, ut eadem in ſui nominis gloriam, Patriæ uſum, orbis literati incrementum, Matris optimæ ſolatium, mei gaudium vergant, ac metam tandem attingant fortunatam. Vale ſic optime DEO, Muſis, Patriæ, Familiæ, bonis omnibus, mihi, & amare perge

Tuum

Dabantur Lipſiæ d. 30. Aprilis
A. R. S. cIↄ Iↄcc XIV.

Fratrem ex animo totum

JOHANNEM SEBASTIANUM HILLIGERUM
Phil. Stud.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0005-1

VIRO

Pereximio, Clariſſimo atque Doctiſſimo Domino

JOHANNI ZACHARIÆ HILLIGERO,

Philoſophiæ Candidato longe digniſſimo atque Theologiæ Cultori indefeſſo, Fratri intimiori cordis affectu colendo

Witebergam.

Ung VI 181

1618

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0007-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0008-8

Frater intimiori cordis affe&

colende.

AMomo ejusque aſſeclis ſæp
honores optimos, eosque
ſperni, res ſatis eſt manife
Laurus, quæ vocari ſuevi
virtutum ſtudio claris Vi
a pluribus inſuper habe
ras? Videtur eſſe hæc, qu
hac cingantur lauro. Sed, quæſo, nonne om
que præmia ſic ſummis ac ſapientiſſimis
bivis terrarum indigni dignis conſpiciant … c
volabilis ubique fere ſola ſuam habeat ſ … e
fruuntur ſolis, numque noſtra tellus no … i-
ſpertitur provenientes fructus? Eſto, … e-
piſſime indignus cum digno ſoleat exor … or
iſte in ſe ſuaque natura eſt atque manet … es
addictos ſtudiis Juvenes excitat ad maj … ar-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-689337-p0009-7